

Encomium seu vetustissimae urbis et splendissimi dominii solodorensis helvetiae totius gemmae descriptio

Objekttyp: **Chapter**

Zeitschrift: **Jahrbuch für Solothurnische Geschichte**

Band (Jahr): **11 (1938)**

PDF erstellt am: **21.09.2024**

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

Encomium

seu Vetustissimae urbis et splendissimi Domini
Solodorensis Helvetiae totius gemmae descriptio,
in dignam loci celebritatem, et incolarum magnificentiam scripta, et
Reverendis, magnificis, nobiles, strenuis, prudentissimis, iusticiae ac
legum observantia praestantissimis Viris ac Dominis, Domino *Urso*
Manslib, Divi *Ursi* Praeposito, D. *Urso VVielsteinio*, D. *Urso Ruchtio*,
Schultetis, D. *VVernero Salero*, Archigrammataeo, D. *Hieronymo A Roll*,
et caeteris Reipublicae *Salodorensis* Senatoribus, Patriae patribus
observandis dedicata

A

M. Joachimo Friderico Theandro, Brandeburgensi,
ludi literarii Salodorensis collega.

Arula fluvius.

Urbs antiqua nimis, praestanti et Marte superba,
Excubat ad ripas Arule curve tuas.
Nomina Saxoso *Salodorum* robore iactans,
Turris in hac media dum vetus urbe patet.
Cuius ab hoc durant fundamina tempore, *Abraham*
Quo velut in mundo mobilis hospes erat.
Urbs inquam Helveticis fama celeberrima terris,
Sola potens aequo iure Deumque metu.
Fida soror, generosa soror, comes inclita sedis,
Quam *Treviri* pulchra sub flatatione colunt.
Cuius nota viget terrarum fama per orbem,
Quâ rubet Eoö candida sole dies.
Quâque sub occiduo condens iubar aequore Titan,
Aurea luciferis frena resolvit aquis.

Antiquitas urbis, cuius
initia constructa ha-
bentur temporibus
Abrahami, anno mun-
di 2408.

Annus authoris 21.

Hanc levis et tenera florens aetate *Theandri*
Musa per extremos transvehet arte polos.
Dum solet argutos anser velut inter olores
Obstrepere et tacito plectra movere sono.
Ergo *Thalia*, *Thalia* tuas nunc exere vires,
Adsis ad incoeptum *Diva* vocata meum.
Sume novas frondes capiti, sic postulat usus,
Ut cithara carmen liberiore canam.

- Unde tamen nostrae sument exordia Musae,
 Unde legam tanti commoda prima loci?
 Si lepidos urbis contemplor in ordine motus,
 Singula et ingenio gaudia verso meo,
 Miror in hac coelo cur non pater in ipse relicto
 Divorum certas fecerit arte domos.
 Quicquid enim dives herbosis floribus Hybla
 Iactat, in hoc solo dixeris esse loco.
 Ardua consurgunt quadrato moenia Saxo,
 Moenia bellaci non capienda manu.
 Ipsa licet Scythicas adducat Thracia vires,
 Teutonibus diram saepe minata luem.
- Iura mons.** Laeva tenet *Iurae* saxosa cacumina montis,
 Qui vehit immotum celsa per astra caput.
 Frondibus umbrosae praetexitur altera siluae,
 Est et montanis undique cincta iugis.
- Laus urbis ab amoenitate sumpta.** Quin-etiam variis campus nitidissimus herbis
 Adiacet, et dulci gramine terra uiret
 Quae vario herbarum ac florum depicta colore
 Vicinum late complet odore locum.
 Florida ubi nivei depascunt gramina tauri,
 Lanigeri saliunt lata per arua greges.
- A fontibus.** Nec liquidi desunt fontes, qui murmure rauco
 Per iuga frondenti consita vere fluunt.
- A piscinis stagnis.** Fontibus adde lacus et stagna virentia musco
 Innumero quorum pisce natantur aquae.
- A Fertilitate terrae.** Quin et cultus ager pressis renovatur aratris,
 Fertilibus vestit messibus arua Ceres.
 Et sua respondent operoso vota colono,
 Cum cadit immissa falce resecta seges.
- Siluarum ubertas.** Lustra quid aliorum nemorum venatibus apta,
 et volucrum referam carmina mille sonis.
 Hic iuvat aestivum captare sub arbore frigus,
 Cum premit herbosum Sirius ustus agrum.
- A dulcedine volucrum.** Et volucrum dulces audire per avia cantus,
 Pulsa quibus moesti cura doloris abit.
 Nam bona frondentes praebent umbracula rami,
 Gramen et irriguum proximus humor alit.
 Sic persaepe suam cantans Amaryllida pastor,
 Pascentes tenui carmine mulcet oves.
 Dum lepida tactae dulcedine corda volucres
 Dant laetos passim per nemora alta sonos.
 Singula quid memorem si cuncta referre liceret,
 Ilias est operis forma futura mei.

**Bachi et Cereris
coniunctio.**

Hoc restat, tua si non munera Bache negasses,
Omnibus haec opibus terra beata foret.

Dulce tamen munus liquor et generosus Iachi
Deserit haud Cereris pingua rura suae.
Quin persaepe meas, largo ceu flumine, fauces
Implet, et illustri guttura rore rigat.
Et mihi perfaciles confert in carmine vires,
Saepe mihi saltus, gaudia saepe movet.

**Laus a celebritate
doctorum, et sapien-
tium virorum.**

Ergo quod haec Cereris sit terra et amica Lyaei,
Laetaque fontanis arua rigantur aquis.
Urbsque viris opibusque potens quod rebus abundat
Omnibus, et turpi rusticitate caret.
Gratior id circo magis est et amica Camoenis,
Praebet et ornatis hospita tecta viris.
Qui patriae fines et dulcia rura gubernant,
Legibus imperii sceptraque iusta gerunt.

**D. Ursus Vvielstein,
Schultetus Salodoren-
sis prudentissimus.**

Quos inter proceres longè *Vvielsteinius* Heros
Splendet, et est patriae gloria prima suae
Quem sibi *Relligio* custos fidissima coeli
Vendicat, et tanto sub patre castra locat.
Curat is hoc solum, turpi ne cedat honestum,
Neve sit in precio fraus et iniqua fides.
Et siquidem patriae prudens pia iura tuetur,
Constituens iustis praemia, damna malis.
Omnis in hoc igitur certam iacit ora salutem,
Iustitiaeque decus, praesidiumque vocat.
Cuius honos omni mansurus tempore vivet,
Semper et aeterno nomine clarus erit.

**D. Ursus Manslib,
praepositus Divi Ursi
Salodorensis, vir doc-
trinarum genere cla-
rissimus.**

Hinc quid honorati referam sincera *Somandri*
pectora, Synthonia candidiora nive.
Blande senex, divine senex, et amabile lumen,
Vive, Sybillinos vivere digne dies.
Dii tibi dent tristem patienter ferre senectam,
Urse micans patriae gemma decusque tuae.
Te quia maiestas sermonis et evehit ingens
Splendor, et admixtus, qua decet arte, lepos.
Te, variis curis Ecclesia fracta, patrono
Erigitur, magnis ipsa levata malis.
Te colit, et digna *Salodorum* laude fatetur,
Se nihil ingenio maius habere tuo.
Te quoque ceu patrem veneror, colo, teque patronum
Concinet aurata dextera nostra chely.

**Generosa foemina,
Domina Barbara à
Roll, Susanna Helve-
tica, pauperum medi-
cina portus, cum mag-
na totius urbis luctu
moritur anno Christi
1571, die 26. Iunii aeta-
tis sua 70.**

Nunc quas inferias, tibi quae funebria soluam
Munera, *Rollorum* foemina nata domorum.
Lugeat extinctam tristis medicina Magistram,
Pauperies tristes vellicet ungue genas.
Illius immensum pariet iactura dolorem
Omnibus indigenis, quot vagus orbis habet.
Namque inopes, caecos, claudos, aegrosque fovebat,
Arte quibus certam viva ferebat opem.
Nec dedignata est humiles intrare penates,
Et medicas aegris applicuisse manus.
Affuit et gravidis nuribus, partuque levatis
Miscuit ut nutrix officiosa dapes.
Sacra colens etiam divinis tradita scriptis,
Nil habuit sancta relligione prius.
At nunc ad superos rediit pars optima, famam
Mundus habet, tellus ossa sepulta tenet.

**D. Vvernerus Saler
Archigrammataeus,
vir mirae sapientiae
et ingenii.**

Cur *Vvernerere* tuas reticerem carmine dotes?
Non taceo nomen docte *Salere* tuum.
Ecquis enim laudesque et nomina nescit,
Phoebus in immenso qua celer orbe micat.
Te grave iudicium gravis et sapientia coelo
Aequat, et ingenii fertilioris honos.
Te veneranda fides, Astraeaque conscia recti
Ornat, et est vitae sola magistra tuae.
Consiliis adiuta tuis Respublica crescit,
Exulat et pulsa cum levitate dolus.
Hinc tua virtutum memorandaque gloria rerum
Omnis in ore frequens posteritatis erit.

**D. Guilhelmus Tugg-
nerus Eques auratus
miles Helvetiorum
fortissimus.**

Nunc opus est *Tugnere* tuas in carmine dotes
Reddere, virtutis vel tua facta cani.
Te patrem certo iactabit libera sensu
Gallia tristificis eruta tota malis.
Et tua iactabit Suevus, tua Rhenus et Ister
Nomina non ullo provehet orba die.

**D. Laurentius Stapfe-
rus, Bremgarttensis,
praedicator Salodor-
ensis.**

Adde, quod hanc pulchris terram virtutibus ornet
Stapferus, vitae gloria sola meae.
Cuius ab ore, velut resoluti nubibus imbres,
Verba Periclaeo culta lepore fluunt.
Dum canit aeterno praeconia iusta parenti,
Ducit et errantes ad sacra prata greges.

**D. Leodegarius Eich-
holzer, canonicus Sa-
lodorensis.**

Iungitur huic merito non infima gloria phoebi,
Ardua cui *Quercus* nomina fronde dedit.

Quem genus et pietas et honestae gratia formae,
 Inclita quem virtus alta sub astra vehunt.
 Cuius corda carent fuco, mens fraudis iniquae
 Nescia, sincere, quod facit, omne facit.

D. Ursus Häni, Canonicus et custos Salodorensis.

Nec reticendus erit docta *Galliculus* arte,
Ursus, honorati portio magna chori.
 Qui velut Aönii libavit gurgitis undam,
 Virgineaque sacer miles in arte fuit.
 Sic quoque Pieridum citharas et castra sequutos
 Diligit, et mutuo semper honore colit.

D. Jacobus Prugg, apud Franciscanos Guardianus.

Nunc *Francisce* tuae fas est pietatis alumnum,
 Hospitis et versu dicere facta mei.
 Hic veneranda sacri sortitus dicta *Iacobi*,
 Conscia *Pontano* nomina patre gerit.
 Ducit et innocuam stricto sub tramite vitam,
 Dignus ut aeternos vivat honore dies.

M. Joannes Carpentarius Bremgarttensis, Scholae Salodorensis Rector scientiarum praestantia ornatus.

Num *Carpentarii* memoranda peritia rerum,
 Et probitas animi cognita laude silet:
 Clarus is ingenio, longo quoque praeditus usu,
 Artibus eximiis corda polita gerit.
 Propagatque artes, quibus emollescere mores,
 Et fera duriciem ponere corda solent.
 Vivet ob hoc patrio mihi semper honore colendus,
 Aethereo donec Phoebus ab axemicat.

D. Henricus Fluri, Canonicus et Cantor Salodorensis.

Quin et digna meo retinebit nomina versu
Florius, altisonae relligionis honos.
 Dum sacra propicio meditaturo munera *Christo*,
 Fundit et irato vota precesque Deo.

D. Udalricus Hutter, Badensis, pastor Ecclesiae Salodorensis.

Et pius hoc nostro florebit carmine mystes,
Huterus generis firma columna sui.
 Qui gerit et docto tractat mysteria sensu,
 Participans studii munera digna sui.

D. Hieronimus à Roll, Patricius et Senatorii ordinis Salodorensis.

Quid tua victuro dictans *Hieronyme* versu
 Facta vel insigni stemmata gente canam.
Rolleriana domus, generosis fulta columnis,
 Te tulit et magnis nobilitavit avis.
 A quibus ornato gestas diademata cultu,
 Illustrans titulos non sine laude tuos.

D. Ioannes Iacobus
von Staal, Patricius
Salodorensis, vir doc-
tus et multarum re-
rum experientia cla-
rus.

Quinetiam celebri memorandus honore triumphet,
A *Stabulo* nomen non tamen omen habens.
Qui velut est proavis et longo stemmate clarus,
Sic ornat morum nobilitate genus.
Et virtute decus nomen famamque parari
Iudicat, et studiis, turba Novenna, tuis.
Adde, quod ardentis exhausserit ille labores,
Sitque simul miles Mars et Apollo tuus.
Ille tulit curas, multos tulit ille dolores,
Terrarum patulas visit in orbe plagas.
Lactatusque mari, per mille pericla, perennes
Quaesivit dotes, et sine fine decus.

D. Iannes Guilielmus
Frölich, quondam for-
tissimi Herois Guil-
helmi, equitis aurati
filius, miles sane ani-
mosus.

Fortia quid dicam iuvenis praecordia magni,
Qui trahit a patria nomina *Laeta* domo.
Militiae totus rigidae castrisque dicatus
Vivit, et hostiles gaudet adisse manus.
Et generosa sui sequitur vestigia *Patris*,
Quem *Virtus* recto vexit in astra gradu.
Adde, quod et doctas imitetur Palladis artes,
Et moveat dulci Musica plectra sono.
Idcirco meritas venturo tempore laudes,
Cum fuerit vitae congrua meta, feret.
Denique per totum vitae laudabilis aevum,
Si modo defuerit non sibi, clarus erit.

Progreditur ad urbem,
quam laudat a forti-
tudine populi.

Nunc tua praeclaros inter memoranda triumphos,
Terra potens, dulcis patria, gesta canam.
Tu genus acre virum producis, et inclita bello
Pectora, non aliquo sueta labore premi
Gentem animo infracto, patientem frigus et aestum,
Aequae docta sitim, quam tollerare famem.
Et licet excelsos bello merearis honores,
Et sis praestantes gignere sueta viros
Nil omninus sanctae complecteris otia pacis,
Non fera sanguinei praelia Martis amas.
Vel si causa iubet, nunquam temeraria confers
Arma, sed ex causae conditione gravis.
Dumque infers, non lenta venis, non ultima pugnas,
Ex acie primas conseris ipsa manus.
Caetera sub tectis, nec enim brevis omnia chartae
Servatura modum pagina ferre potest.

Ab amore pacis.

A magnanimitate
populi.

Conclusio cum voto et
exhortatione.

Fertilis interea tellus tibi surgat aratro,
Annuae quae Cereris munere fundat opes.
Surge potens opibus, careant tua tecta ruinis,
Nec noceat tectis ignis et unda tuis.

Et quia iamdudum virtutibus inclita belli
 Aurea formosum tollis ad astra caput.
 Parce, precor, propriam bello lacerare salutem,
 Parce tuis, foelix patria, parce tuis.
 Parce tuis, et castra veta coniungere belli,
 Aurea quin potius semina pacis ama:

Pacis comoda.

Pace nihil melius, valide stant omnia pace,
 Pace nihil melius sidera celsa vident.
 Pax melior bello, pacem te poscimus omnes,
 Illa beat terras, illa beat populos.
 Hinc tibi fervor erit doctas coluisse puellas,
 Et sacra Paegasei castra fovere chori.

**Se et scholam patriae
 commendat autor.**

Sitque tibi nostrae non ultima cura palestra,
 Hanc quacunq̄ue potes parte iuvare, iuva.
 Sic tua perpetuo conscendent moenia cultu,
 Moenia ab hostili non superanda manu.
 Sic tua per totum florebit gloria mundum,
 Sic tuus aeterna laude feretur honos.
 Inter et illustres, quod habet *Germania*, terras,
 Dulce tibi nomen, famaue dulcis erit.

M. D. LXXI.

Beilage.

Besucher der Universität Freiburg i. B. während der Professur Glareans, 1529—1563, die nachher im Kanton Solothurn tätig waren.

Nach Dr. Herm. Mayer: Die Matrikel der Universität Freiburg i. B. von 1460—1656,
 2 Bde. (Freiburg 1907 und 1910), nebst weiteren Quellen- und Literaturverweisen.

1. Dominus Henricus Glareanus artium mgr. atque poeta laureatus.
 Mayer, S. 273, Nr. 20. Inskribiert 29. März 1529.
 H. Loriti, aus Mollis, Kt. Glarus, geb. Juni 1488, in Köln insk. 1506, mgr. 1510,
 poeta laureatus 1512, in Basel 1514—1517, Freund des Erasmus, in Paris 1517,
 wieder in Basel 1522, Lehrer der Poetik in Freiburg 1529—1563, starb
 28. März 1563.